



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 52. Moronus Cancellarius Mediolanensium exulum Dux.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

huic accessit immodicus ejusdem luxus, cui, ut liberalius majorique cum splendore indulgere posset, ob levia etiam crimina opulentarum quarundam familiarum bona fisco addixit; quapropter singulis ferme diebus quidam in vincula conjici, alii exilio mulctari, alii ob minimas quasque suspiciones bonis suis proscribi cernebantur. Hos inter Hieronymus quoque Moronus Mediolanensis Cancellarius, cum Gallis suspectus esset, ex urbe pulsus, in urbem Tridentinam Cæsaris dominio obnoxiam ad Franciscum Sfortiam sese recipere cogebatur.

saecul. XVI.

A.C. 1521.

§. LII.

*Moronus Cancellarius Mediolanensium
exulum Dux.*

Moronus, ut armorum potentia sibi reditum in patriam suam pararet, sollicitante summo Pontifice, & Carolo Cæsare Mediolanensium exulum, quorum ingens erat numerus, caput sese constituit. Nec oblatum sibi munus respuit Moronus, Leoni X. exponens, quod Gallos ex Italia pellendi medium magis expeditum haud suppeteret, quam si illi uno eodemque tempore in Mediolanensi, simulque in Genuensi ditone infestis armis obruerentur. Placuit

Guic. lib. 14.

Sæcul. XVI
A.C. 1521.

Pontifici consilium, jussitque Guicciardinum Mutinæ ac Reggii Governatorem, ut Morono decem aureorum millia numeraret. His pecuniis auctus, tria armatorum millia conduxit Cancellarius, eo consilio, ut Cremonam ex insidiis caperet: Cum vero ad exequendam hanc expeditionem exules Busfeti in Parmensi Ducatu ac in ditione Christophori Pallavicini convenirent, Lescunus rem edoctus, Cardinum ad Pallavicinum Cremonam ablegabat, eidem significans, ipsum perduellionis reum declarari, ni protinus exules ditione sua expelleret. Ast Pallavicinus Cardinum, ut ab eo captus abstraheretur, missum ratus, eundem occidi jussit: nihilominus tamen exules Busfeto pulsî, Reggium secesserunt, ubi Guicciardinus tutum illis asylum præbuit. Re comperta Lescunus confestim in eum cum quadringentis Lanceariis movit, sequente illum Alexandro Trivulzio, qui Guelforum caput erat. Guicciardinus horum adventum præveniens, urbi sese inclusit, quam Lescunus quidem nulla mora adorsus est, spe concepta, se hoc pacto exules potestati suæ subjecturum. Verum spe sua frustratus die vigesima quarta Junii cum Guicciardino colloquendi copiam sibi concedi postulavit. Lubens annuit ille, atque

atque utrinque pro more securitati cautum est.

Sæcul. XVI.
A. C. 1521.

§. LIII.

Reggiense colloquium inter Guicciardinum, & Lescunum.

Igitur Lescunus comitante eum Trivulcio ad ostium propugnaculi, quod Parmensi portæ jungebatur, processit, conquestus, quod summus Pontifex Mediolanensibus proscriptis in Reggienti urbe asylum concessisset, cum hoc pacto foederum fides violata fuisset: Vicissim vero Guicciardinus Lescuno exprobrabat, quod spreta eorumdem foederum religione Galli Ecclesiæ ditiones infestis armis invaderent. Ferventibus mutuis hisce objurgationibus, de repente ingens auditur tumultus, eam ob causam suscitatus, quod Bonnevalius, qui aliam urbis portam cum copiis suis obsederat, vi in urbem irrumperere tentaret, ea usus occasione, qua porta pro invehendo curru farina onusto aperiebatur. Civés hanc Gallorum audaciam indignati ingentem globorum tempestatem in Bonnevalii milites exonerabant, ac favente hoc tumultu illi quoque, qui haud procul a colloquii loco urbis mœnia custodiebant, in Lescuni socios ferreas fistulas explodebant, ipsumque Trivulcium

Guicc. l. 14.